



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

es vilis quàm ipsum nihilum. *Siquis existimat se aliquid esse Gal. 6. 3. se cum nihil sit, ipse se seducit.*

III.

CONSIDERA, his è verbis invicta arguendi ratione colligi veritatem quàm inopinatam, tam legitimam, fuisse scilicet Virginem ab omni noxa originis planè liberam. Nam si rem ipsam ut est perpendimus, quid tandem illa his verbis spectavit? Non aliud fanè, nisi ut tanto reluceret manifestius DEI beneficentia comparata nil tale merentis vilitati. Si igitur illa unquam, et si brevissimo tempore, peccato obnoxia fuisset, ut quid dixisset tantùm, quòd Dominus respexerit ipsius humilitatem? dicendum erat, quòd ne iniquitatem quidem respicere dedignatus fuerit: quanto enim major erubescendi Virgini causa fuisset dicere, *respexit iniquitatem Ancilla sua*, quàm solammodo *respexit humilitatem*? Dum igitur non ita locuta est, argumento profectò est, quòd sine veritatis injuriâ ita loqui non potuerit. Percurre historias vitæ quorumcunque Sanctorum, non invenies ne unum quidem, qui prætermiserit occasionem exercitandæ Demissionis tam masculæ, tantique meriti, qualis est ista, palàm se peccatorem profitendi. Ut quid igitur Virgo occasione tam commoda id ipsum facere neglexisset, si modò salvâ veritate potuisset? *Justus Prov. 18. prior accusator est sui.* v. 17.

Neque contra occinas, ita facere solitos Sanctos homines, quòd rei essent noxarum ab ipsismet admissarum; perinde ac si solæ istæ fuerint, quarum se agebant reos, non autem illa solius originis. Quæro enim ex te; An non Rex David ejusmodi peccatis non minùs quàm multi alij obnoxius

xius fuerit? Et tamen ad se magis deprimendum non aliam, quàm hanc apertius adduxit, quòd esset conceptus in peccato: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: perinde ac si in hoc tanquam funesto fonte continerentur alia adulteria, homicidia, & iniquitates aliæ haud sanè leves, quarum tamen speciatim reum se non est professus. Ut quid igitur Virgo omisit imitari exemplum tam egregium, à Rege progenitore suo sibi datum? An in Psalmis toties illud non legerat? non probabat? non æstimabat? ut quid imitari non est dignata? nulla afferri hujus silentij causa potest, quàm quòd non potuerit nisi mentiendo: nulla autem Demissio sincera sine comite veritate; quâ sine non virtus, sed vitium foret tam turpe, quàm deforme est mendacium.

Tu interim bono tuo adverte animum ad rem summâ dignam ad miratione. Demissio Virginis tanta fuit, ut potuerit, quod jam dicebamus, pellicere Verbum divinum ad descendendum de cælo in terras. Nihil tamen unquam vel minimum habuit Virgo, cujus ream se ageret. Tu qui tam multum habes, de quo non tantùm accuses te, sed planè erubescas, an tanta forsân es animi demissione, quantâ Virgo fuit? quin imò tantum abes ab ea virtute, ut multum tibi conandum sit, ne plenus sis animi elatione. Cogita igitur, an tua vilitas tantum in te possit ut te demittas, si ne iniquitas quidem id efficere potest. Submissio animi videtur debere esse virtus Peccatorum propria. Et tamen (quis non obstupescat?) in nemine illa unquam major fuit quàm in Sanctissimis quibusque. *Disci-*

te à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Ecce